



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput IX. Nonnullæ Quæstiones circa Peccata breviter expediuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

cum despicientia, & contemptione. Nam si quempiam offendas inconsiderate vel oscitanter, non tamen odio vel contumacia, offensor quidem es, at non contumeliose contemptor. Fateor itaque veniale peccatum esse Dei offensam, quia est Divinæ legis transgressio: nego esse offensam, quæ perveniat ad Dei contemptum, atque injuriam. In mortali peccato utique Deo inferitur injuria, & quia charitas penitus violatur, omne peccatum mortale est moraliter infinitum. Esse tamen unum peccatum altero gravius, recte adversus Stoicos, & Jovinianum Capite superiori affirmavimus: quod nunc, quomodo possit consistere, breviter explanabo. Cum una sit æquitatis regula summa & immutabilis, quam non semel dixi esse Deum ipsum, & participationem Divini luminis humanam mentem irradiantis, illa quidem prohibet omne malum, & bonum omne præscribit. Inter mala autem pejora censentur, quæ ab illa magis distant, atque inter bona meliora

sunt, quæ illi magis approximantur. Ita summa illa regula præcipit ut Deum, ac proximum diligas, & idololatria majus crimen est, quam Divini Nominis profanatio, homicidium gravius, quam convicium, quoniam dilectioni Dei magis opponitur cultus idolorum, quam irreverentia; & amor proximerum plus homicidium, quam contumelia. Duo ergo peccata mortalia V. G. superstitio, ac perjurium, infinita sunt, neque unum est gravius altero comparate ad legem æternam, ut universaliter præscribit Dei cultum & dilectionem; nam utroque peccato Deum contemnis & afficis injuria. Est autem superstitutionis scelus gravius perjurio, comparate ad eandem æternam legem, ut in particulari prohibet utrumque crimen, quorum unum dilectioni Dei magis repugnat quam alterum; plus enim recedit ab ipso Deo, qui illum præfracte negat, quam qui ejus nomen pronuntiat temere & irreverenter.

CAPUT IX.

Nonnullæ Quæstiones circa Peccata breviter expediuntur.

SUMMARIUM.

1. Quomodo peccata specie differant.
2. Quomodo peccata numero differant.
3. Divisio peccatorum.
4. Aliud est peccatum ratione objecti.
5. Aliud est peccatum ratione impellentis causæ.
6. An detur pura omisso libera.
7. De imputatione peccati.
8. Probatur posse aliquem absque ætali san-

cta cogitatione vel excitatione peccati subiacere.

9. Objectionibus prævenitur.
10. De peccato Philosophico.
11. Probatur peccatum Philosophicum esse fictitium.
12. Argumenta tria, quod possit dari peccatum philosophicum.
13. 14. & 15. Solutio Argumentorum.

1. Quomodo peccata specie differant,

CUM ad pertractandum de peccatis dissertationes nostræ processerint, occurrunt dubia quædam haud difficilia unico capite dissolvenda. Horum primum est, quomodo peccata specie, numeroque differant. Differre specie aliqui putant per ordinem ad objecta, aliqui per ordinem ad virtutes quibus opponuntur, alii denique per ordinem ad diversas regulas incommutabilis legis, de qua paulo supra. Potest hæc postrema sententia cum præcedentibus conciliari: etenim virtus est quidquid illius legis æquitati ac rationi conformatur, & in ipsa lege diversæ extant regulæ, in quantum præscribit erga diversa objecta ordinem rectum amoris, & dilectionis. Quare si velis peccata distinguere per ordinem ad objecta; non hæc accipies ut sunt res aliqua, sive, ut

dicimus in Scholis, *materialiter*, sed in quantum diversa ratione possunt diligi, vel odio haberi, violatis æternæ legis præscriptionibus. Rem ita declaro: deficit perverso amore humana voluntas, dum flectitur *contra ordinem naturarum ab eo quod summe est, ad id quod minus est*, inquit S. Doctor lib. XII. de Civ. Dei cap. 8. id est, à bono incommutabili ad fluxa & commutabilia. His præscripto æternæ legis *frui* non debemus, sed *uti*. Eligas nunc bonum aliquod commutabile, E. Gr. aurum. Si auro sine ultimo adhæreas, id est, propter illud des operam literis, aut exercitamentis aliis, *frueris* auro, & primam præceptionem sempiternæ legis violasti. Peccatum istud dicimus *avaritiam*. Fieri potest ut non fruaris auro, sed utaris: uti autem debes, ut nosti,

sti, propter bonum incommutabile, quoniam utimur ea re, quam in usum assumimus propter finem. Si ergo utaris auro ad epulas, ad venerem, ad ludos, ad ambitionem fovendam, male uteris, ac violatum est præceptum alterum incommutabilis legis. Erit peccatum hoc specie diversum à primo, & appellabitur prodigalitas.

2.
Quomodo
peccata nu-
mero differunt.

In ipso usu malo bonorum cummutabilem possunt diversæ æquitatis regulæ violari juxta diversitatem aut finis, aut objecti. Si enim pecuniam erogaveris ambitiosa prodigalitate, finem habes tui ipsius exultationem, & conjungis cum prodigalitate *superbiam*, quæ proinde permixta est omni operationi, quam exerceas cum ambitiosa inflatione. Si profundis aurum ad muliebrem animum captivandum, accedit vitiosæ profusioni finis turpis voluptatis, quam appellant *luxuriam*. Ita de finibus aliis ratiocinare. Potest tamen idem finis ad diversa objecta referri, ut si concupiscas nuptam, virginem, Deo mancipatam, &c. atque in hoc etiam casu violantur diversæ regulæ immutabilis æquitatis, & confurgit species peccatorum diversa. Idem affirmo de personæ, loci, ac temporis circumstantia. Quod si peccata plura sint actus diversi, & eisdem regulæ oppositi, tunc multiplicata erunt non specie, sed numero. Prior itaque quæstio ad hunc modum se habet.

3.
Divisio peccatorum.

Quæstio proxima est, quamnam sit apta peccatorum divisio. Ad hanc autem quæstionem respondeo, quod cum peccatum omne voluntarium sit, aliud est voluntarium originaliter, hoc est voluntate primi parentis, qui communem universorum hominum naturam prima transgressione vitiavit; & istud peccatum est originale, de quo lib. XIII. quoniam ad percipiendam Augustinianam de Gratia doctrinam apprime conducit, præmissi dissertationem. Aliud autem voluntarium est actualiter, id est propria & expressa cujusque hominis voluntate, & istud appellamus *actuale* peccatum. Hoc autem dividi solet aut ratione majoris, aut minoris nequitiae, aut ratione termini vel objecti, aut ratione impellentis causæ, aut ratione affectionis, quam imprimit animo. Spectata gravitate & nequitia aliud est peccatum veniale, aliud mortale: quorum primo, ut diximus, convertitur animus ad creaturas absque totali à Deo aversione, & absque eo, quod summum bonum postponatur bono mutabili; ut curiosus intuitus, verbum otiosum, officiosum mendacium: altero violatur lex

dilectionis, Deus contemnitur, & commutabile bonum ipsi præfertur; ut ebrietas, fornicatio, homicidium. Si autem quæras quomodo possimus distinguere, quando conjuncta sit peccato Dei injuria, & contemptio; dico id posse à nobis hac animadversione deprehendi. Contemnitur Dei bonitas, cum magis diligitur creatura: contemnitur Dei justitia, quando magis timetur temporalis poena, quam æterna; contemnitur Dei veracitas, quando ea abutimur ut testimonium perhibeatur falsitati; contemnitur Dei sanctitas, cum in ejus conspectu fiunt, aut proferuntur obscæna: contemnitur dominium Dei, quotiescunque grave inferitur creaturis ejus nocumentum. Hoc pacto circa alia Dei attributa discurras. Ergo si opere aut desiderio quæris creatum bonum, etiam si scias te amittere æternum: si minuitur Deus suam indignationem & gehennam, & facis tamen quod prohibet; si falsum confirmes Divini nominis obtestatione: si non veritus Dei præsentiam facis quæ offendunt honestissimorum hominum oculos; si proximo manu aut lingua affers notabile incommodum; contemnis aperte bonitatem Dei, justitiam, veritatem, sanctitatem, dominium, & te lethali crimine obstringis.

Ratione autem objecti, aliud est peccatum, quod homo committit immediate adversus Deum, ut hæresis, idololatria, blasphemia; aliud quod committit contra seipsum, ut intemperantia, & aliqua luxuriæ species; aliud quod committit adversus proximum, ut furtum, homicidium, detraçtio. Contra hoc triplex peccati genus optime interpretantur Scholastici cum D. Thoma I. 2. q. 72. art. 4. Apostoli verba ad Titum II. 12. *Sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc seculo*, σωφρονας, & δίκαιος, & εὐσεβής ἐν τῷ νῦν αἰώνι. Est enim σωφροσύνη, sobrietas, auctore Philone in libro, quo demonstrat virum bonum esse liberum, sanitas quædam mentis vel temperantia, qua homines pecunias, honores, voluptatesque contemunt fortiter, vivuntque continenter, in laboribus complexi frugalitatem, simplicitatem, facilitatem, modestiam, constantiam, & id genus cætera. Δικαιοσύνη, justitia, charitatem exercet, quam indicat erga homines benevolentia, mira æqualitas, rerumque omnium societas. Εὐσεβεία, pietas, argumenta observantia erga Deum præfert plurima, à jurejurando, mendacique abstinentiam, & ad Deum auctorem bona omnia, malum vero nullum refert. Talibus itaque Apostolicis verbis omnes offi-

4.
Aliud est
peccatum
ratione ob-
jecti.

officiorum noſtrorum partes conclu-
duntur, & peccata omnia damnantur.

Porro ratione impellentis cauſæ alia ſunt
peccata *ignorantiæ*, alia *infirmiſſimæ*, alia
malitiæ. Vel enim peccamus ob vincibi-
lem ignorantiam, vel ob luſtam concu-
piſcentiæ, cui libere ſuccumbimus, vel
ſtudioſa malitiâ, quâ in rebus quoque tur-
piſſimis apprehendimus bonum aliquod
aptum & congruens. Hæc adeo ſunt
manifeſta, ut neceſſarium non ſit ea
exemplis appoſitis complanare. Sunt
quoque peccatorum cauſæ facultates ani-
mæ & ſenſuum; unde peccata dividi
ſolent in *ſpiritualia*, & *carnalia*: quo-
rum illa internis potentiis patrantur, ut
ſuperbia, & invidia, hæc ſenſuum ille-
cebris; & miniſterio, ut gula & luxu-
ria. At cauſæ exteriores ad peccatum
allicientes, cujuſmodi ſunt diabolus,
& mundus, non videntur mihi diviſio-
nem facere peccatorum, nam omnis
illorum tentatio, ut ſcribit Magnus Gre-
gorius Hom. 16. in Evangelia, *tribus*
modis agitur, ſuggeſſione, delectatione,
& conſenſu: id eſt cauſas priori loco
commemoratas ſolicitando. Denique
ratione affectionis animorum aliud eſt
peccatum *habituale*, quod ita appellat-
ur ratione maculæ & reatus animo in-
hærentis, aliud eſt vitium, ſive pec-
candi *habitus* permanens etiam maculâ
illâ deletâ: de quibus dictum eſt præce-
denti Capite 6.

Tertia eſt quæſtio, an poſſit dari pura
omiffio libera, ſive peccatum omiffio-
nis abſque ullo actu voluntatis: ſed hæc
quæſtio nullo pacto animum meum pul-
ſat ſi mentem converto ad ea, quæ
primo Capite huius libri præmonui de
ignorantiâ & libertate neceſſaria ad pec-
catum. Dicimur enim interpretative
velle nſcire, quæ cum debeamus, ac
poſſimus, ſcire negligimus. Eadem ra-
tione dicimur velle committere, vel
omittere, quæ cum poſſimus aut vitare,
aut efficere, non facimus. Quoties-
cunque ergo omittimus facere quæ igno-
ramus eſſe præcepta, ſcire tamen poſ-
ſumus ac debemus, aut ad id oſcitan-
tia noſtra culpabili minime advertimus,
quoniam præcipimur operari, & cur
non operemur cauſa in nobis eſt, datur
peccatum liberæ omiffionis abſque ex-
plicito voluntatis actu, qui tamen cen-
ſetur aſeſſe interpretative & morali-
ter.

Affinis eſt quæſtio quarta, an, ut im-
putetur peccatum, debeat animum ſubi-
re ſancta cogitatio & delectatio, per
quam advertat ad peccati malitiam, aut
excitetur ad deſiderium virtutis. Id ne-
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

ceſſarium non eſſe, dummodo aliunde
ſalvetur libertas indifferentiæ, conſequi-
tur ex iis, quæ diſputata ſunt lib. XVI. I.
de Gratia ſufficiente. Nam defini-
mus non requiri ad imputationem pec-
cati, quod non denegetur homini actua-
lis gratiæ adjutorium; & aliquos repe-
riri obduratos interiori gratia deſtitutos,
& nihilominus peccare indifferenter ac
libere. At ſancta cogitatio, & delecta-
tio munus eſt gratiæ. Si ergo gratia
neceſſaria non eſt ad imputationem pec-
cati, neque erit neceſſarium ad peccati
malitiam advertere, aut pulſari delecta-
tione virtutis.

Quoniam vero largi quidam gratia-
rum divinarum diſpenſatores huic no-
ſtræ aſſertioni reſiſtantur, illam proxi-
mis munimentis confirmamus. I. In
Dioſpolitana Synodo anathemate pro-
ſcriptum eſt illud Pelagianorum para-
doxum, *oblivionem & ignorantiam non*
ſubjacere peccato. At qui obliſcitur,
vel ignorat actu non cogitat, nec dele-
ctatione pulſatur. Ergo poteſt quis abſ-
que actuali ſancta cogitatione vel exci-
tatione peccatis ſubjacere. II. Nihil oc-
currit in libris Auguſtini frequentius,
quam plures peccare neſcientes. Legi-
tote Epistolam CLIV. nunc XLVII. De Sp.
& lit. cap. 36. lib. 1. Retract. cap. 15.
Aſſentiuntur Auguſtino Hieronymus
in 1. adv. Pelagianos, & Bern. in Epi-
ſtola ad Hugonem. III. Si quilibet pec-
cator ſuperna quadam dum peccat illu-
ſtraretur cogitatione, nullum daretur
peccatum ignorantiam. At ſi non datur;
cur legitur cap. v. Levitici v. 17. *Ani-*
ma, quæ peccaverit per ignorantiam?
Cur ajebat David Pl. xxiv. 7. *Delicta*
juventutis meæ, & ignorantias meas ne
memineris Domine? IV. Laborarunt
ignorantia Judæi conſpirantes in Chriſti
mortem, quos alloquitur Petrus Act. 111.
17. *Et nunc fratres ſcio, quia per igno-*
rantiam feciſtis, ſicut & principes ve-
ſtri. Laboravit ignorantia & Paulus
quando perſequebatur Eccleſiam, ut
ipſemet ſcribit in priori Epistola ad Ti-
moth. 1. 13. *Ignorans feci in increduli-*
tate. Laborarunt ignorantia occiſores
Martyrum, de quibus prædixerat Sal-
vator Joan. xvi. 2. *Sed venit hora, ut*
omnis qui interficit vos, arbitretur obſe-
quium ſe præſtare Deo. Hi ergo quo
pacto, dum tam immania patrabant,
virtutis luce, & jucunditate perfunde-
bantur? V. Auſtore Petro Damiani in
vita S. Romualdi cap. 35. & Opuſc. VII.
cap. 21. clerici Vallis de Caſtro ſimo-
niæ crimen eſſe rem licitam arbitraban-
tur; & quidam Monachus Felix nomine

8. Probatur poſſe ali-
quem abſ-
que actuali
ſancta cogi-
tatione vel
excitatione
peccatis ſub-
jacere.

U

ad

ad sedandam libidinem fas opinabatur rem turpem peragere; & nihilofecius hi tanquam impiissimi damnati sunt, ac reprehensi. VI. Parisienses Theologi anno 1641. proseripserunt hanc propositionem, *Nunquam peccatur, nisi praevia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur.* Lovanienfes an. 1657. confixere alteram: *Ut actio quaequam sit peccaminosa, oportet ut procedat ab homine, qui no- scit & percipit quid boni, malive in ea sit.* Rursus Clerus Gallicanus anno 1700. damnavit sequentem assertionem: *Si peccatores consummata malitia cum blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiae stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos hisce actionibus non peccare,* damnavit, inquam, & declaravit falsam, temere pronuntiatam, perniciosam, & quae bonos mores corrumpit, & blasphemias, aliaque peccata excusat. Lege Historiam de Auxiliis lib. 111. cap. 48. VII. Si peccatorum malitiam non adverteret redderet hominem immunem à culpa; potior esset ac melior conditio ignorantis, quam sapientis, neque hujus notitia adaugeret tantum culpae nequitiam, dum peccat, sed ulterius necessaria esset, ut posset peccare; quod puto perpaucos esse dicturos, etiamsi affirmetur in Nodo praedest. P. 1. §. 2. n. 11. à Cardinale Sfondrato.

9.
Objectionibus praevenitur.

In solutione quorundam adversus superiorem assertionem argumentorum non immorabor. Quippe ea petuntur vel à communi Philosophorum prologo, *Nibilest volitum, quin praecognitum,* vel à sufficienti Gratia, quae nunquam desit alicui. At haec postrema, id est, à gratiae communione deprompta toties recocta sunt, ut nimium futurus sim, si iterum ea proferam, garrulus & verbosus. Quamquam si gratia foret, ut plures docent, aut qualitas, aut motio, aut res alia sanctae cogitationis effectrix, posset singulis adesse, tametsi hominis culpa non produceret sanctae inspirationis effectum. Nam & nos pariter Divinam omnipotentiam ac misericordiam paratam omnibus opitulari, & adjuvantem non reluctantes, adesse universis ac singulis non diffitemur. Ad argumenta autem deducta à communi pronuntiato philosophorum non semel dictum est, illud liberrima voluntate fieri, quod eligitur cum indifferentia iudicii; quod quisque facit, dum peccat, etiamsi actu non cogitet esse peccatum. Ut vero quod libere perpetratur sit re ipsa

peccatum, sufficit quod possit ac debeat advertere ad nequitiam illius, nec laboret legis peccatum illud prohibentis ignorantia invincibili. Etenim, ut Augustinus ait in 111. de libero arbitrio cap. 12. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.*

Ultima quaestio est, Quid sit, & an de peccato philosophicum? de quo mentionem fecimus lib. 1. cap. 4. prop. 2. Dictum est ibidem peccatum philosophicum esse actum humanum disconvenientem rectae rationi, absque eo quod sit transgressio Divinae legis. Hujus peccati commentum derivatum est ab opinione illa quorundam Scholasticorum, quod possit Deus invincibiliter ignorari. Si enim quis Deum ignoraret invincibiliter: & patraret homicidium, adulterium, aut crimen aliud pervertens hominum mores, ordinemque universi, & repugnans naturae lumini; peccatum illud cum Dei ignorance conjunctum adversaretur rectae rationi, at non esset transgressio legis Divinae, quoniam peccator percipere non posset esse Deum, atque aeternam Dei legem, cujus rationis lumen est quaedam participatio.

Hoc peccatum fictitium esse demonstratur ex eo quod Alex. VIII. an. 1690. tanquam scandalosam, temerariam, erroneam, piarumque aurium offensivam confixit proximam assertionem: *Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, & rectae rationi. Theologicum vero & mortale est transgressio libera Divinae legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna pena dignum.* Deinde peccatum illud commentitium esse declarat certa nobis, ac longe probabilior sententia, neminem esse, qui Deum ignoret invincibiliter. Insuper ex constitutis doctrinae nostrae principiis manifestum est rectam rationem nihil aliud esse, quam uniformitatem perceptionis humanae cum regula immutabilis aequitatis, sive participatione Divini luminis. Nequit ergo deprehendi opus ali- quod esse rectae consentaneum rationi, nisi etiam percipiatur rationem ipsam à summa veritate, quae Deus est, non desectere, ideoque ipsa summa veritas latere omnino non potest.

P. Ifaa-

10.
De peccato philosophico.

11.
Probat peccatum philosophicum esse fictitium.

12.
Argumenta
tria, quod
poſſit dari
peccatum
Philosophi-
cum.

P. Iſaacus Bruyn in Collegio Lovanienſi Societatis Jeſu, alique viri docti, quamquam dari peccatum Philoſophicum non affirmant, nihilominus poſſe hypothetice propugnari contendunt. Nam primo affirmant peccati philoſophici nomenclaturam non à poſterioris ævi Scholaſticis, ſed jam ab Angelico præceptore traditam 1. 2. q. 71. art. 6. ubi ait: *A Theologis conſideratur peccatum præcipue ſecundum quod eſt offenſa contra Deum: à Philoſopho morali, ſecundum quod contrariatur rationi.* Peccatum ergo Philoſophicum illud eſt, (inquit Pater Bruyn) quod ſi daretur, fieret contra rectam rationem cum invincibili ignoratione Dei, adeoque legis Divinæ illud prohibentis. Secundo inquirunt, in eo qui laboraret invincibili Dei ignoratione, peccatum rectum ordinem pervertens, ut adulterium, vel homicidium, futurum Dei offenſam, quoniam Deus non tantum creaturæ rationalis conditor eſt, verum etiam vindex, quamvis contra illum perpetratum non agnoſcatur: quod neceſſarium non eſt, cum etiam homines inter, optimo cuique diſpliceant peccata, non contra ſe modo, verum etiam contra alios commiſſa. Tercio aſſerunt, quod peccatum illud non eſſet mortale, neque gratiam excluderet ſanctificantem, neque hominem pœnis ſempiternis ſubjiceret; nam S. Thomas 2. 2. q. 20. art. 3. ait: *Si poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile ſine averſione à Deo:* (quod fieret utique, ſi vincibiliter Deus ignoreretur) *quævis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale.*

13.
Solutio 1.

Reſpondeo ad 1. neque hypothetice peccatum philoſophicum poſſe defendi, hypotheſi quæ perceptibilis ſit, & ſeſe non evertat: quamquam data invincibili Dei ignoratione, non hypothetice tantum, ſed reapse, opinione noſtra, admitteretur peccatum philoſophicum. Poſſet enim ignorans Deum adverſus rectam rationem delinquere. Cur, quæſo, non? Si legem Dei non transgrederetur, Deum non offenderet. En peccatum philoſophicum ex hypotheſi proſciſcens ad actum. Ex verbis S. Thomæ infulſe, inepte, imperite conſictam hypotheſim ſtabiliunt. Poſſe V. G. corpus conſiderari à Phyſico ut conſtat materia & forma, & Metaphyſico ut ens eſt, à Mathematico ut triam habet dimensionem. Ergone poſſe percipere corpus quod conſtat ſit ex materia & forma, & tamen non ſit ens, nec poſſit habere extensionem? Id quidem nullo pacto, quia ſi phyſicam materiam

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

teriam ac formam percipis, entitatem aliquam capaceſ dimensionis, neceſſe eſt, ut percipias. Conſideratur peccatum à Philoſopho, ut adverſatur rationi, à Theologo, ut eſt Dei offenſa. Verum eſt: ita S. Thomas. At quænam eſt extorta illa conſecutio, Ergo poſſe excogitari peccatum repugnans rectæ rationi, quod non ſit Dei offenſa? Ego rectam rationem nego, quæ non ſit cum participatione legis æternæ: & cum participatione legis æternæ nego poſſe dari invincibilem Dei ignorationem.

Ad 2. reſpondeo falſum eſſe, quod peccatum illud philoſophicum foret Dei offenſa. Non enim eſt offenſa Dei, ſi non eſt transgreſſio Divinæ legis. Non eſſet transgreſſio Divinæ legis, quoniam lex invincibiliter ignoraretur. Quomodo ergo eſſet Dei offenſa? At vindex, inquirunt, eſt Deus peccati, eſi non cognoscatur contra legem Dei perpetratum. Quid inde? Vindex erit, ſed non offenſus. Etiam inter homines, ajunt, optimo cuique diſplicet peccatum, etiamſi commiſſum adverſus alios. Fateor, diſplicet: ſed optimo illi, quem ignoras, nulla aſſertur injuria, nulla offenſa. Peccatum vero, quod non ſit offenſa Dei, & libera Divinæ legis transgreſſio, admittere temerarium eſt, & erroneum.

Ad tertium dico, quod peccatum illud, dummodo eſſet in materia gravi, eſſet mortale; nam diſſolveret amicitiam Dei, & æternam pœnam promeretur, ut conſtat ex damnata propoſitione. Atque hoc idem inferitur ex verbis S. Thomæ, quæ opponit P. Bruyn. Angelicus enim Doctor 2. 2. q. 20. art. 3. probat deſperationem eſſe quidem mortale, graviſſimumque peccatum, quoniam eſt contra virtutem Theologicam, cujus objectum eſt Deus, ideoque importat ab ipſo Deo averſionem, in qua ſita eſt principalis ratio peccati, propterea quod ſine averſione à Deo mortale peccatum non datur. Sed addit S. Thomas deſperationem non eſſe peccatum adeo grave, ut eſt infidelitas, vel odium Dei, *Quia infidelitas & odium Dei ſunt contra Deum ſecundum quod in ſe eſt: deſperatio autem ſecundum quod ejus bonum participatur à nobis.* Igitur per D. Thomam ſat eſt ad mortale peccatum, quod ſit averſio à Deo in quantum à nobis participatur. Atqui peccatum philoſophicum eſſet averſio à recta ratione, quæ eſt participatio æternæ legis, & conſequenter eſſet averſio à Deo in quantum participatur à nobis, ergo peccatum philoſophicum eſſet æterna pœna dignum,

U 2

gnum, atque mortiferum. Sed inquit P. Bruyn, nostro in cerebro hæc primum nata non est, quam ab Augustino accepimus, opinio. Tractatu cv. in Joannem, *Hæc est enim, (inquit ille) vis vera divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.* Grandiusculis literis PP. Benedictini hanc præclaram Augustini Senten-

tiam, ne inconficere illam prætermittet, lector, typis ediderunt. Si vis veræ divinitatis non potest creaturæ ratione utenti penitus abscondi, & Deum negant tantum perpauci, in quibus natura nimium depravata est, & affectiones, quæ corrumpunt animam, distrahunt mentem à veritate, quæ nunquam omnino absconditur; nullus profecto Deum ignorat invincibiliter, & peccatum philosophicum in solo hominum cerebro fictum est.

CAPUT X.

An ad culpam imputetur malum opus ex invincibili ignorantia patratum?

SUMMARIUM.

1. De ignorantia invincibili Propositio 1.
2. 3. & 4. Probatur.
5. Propositio 2. Probatur.
6. Notanda aliqua.

7. Probatur 2.
8. Opposita sententia verissima declaratur.
9. Respondetur argumentis à Genetto productis.
10. usque 19. Solvuntur Objectiones.

De Ignorantia invincibili.

QUÆ de ignorantia disserui revocant me ad insectanda dogmata Janfenianorum adversum nos jam fractis extremisque viribus velantium. Censent enim ignorantiam juris naturæ invincibilem, eoquod pœna sit originalis peccati, neminem à culpa excusare, perperam in patrocinium mendacii pluribus Augustini testimoniis confarcinatis. Quod ante Janfenium scripserat cum aliis Calvini gregalibus Hieronymus Zanchius citatus à Stephano Descamps lib. 111. H. Janf. Disp. v. cap. 1. Licet autem hæc hæretica assertio refutata sit una cum scriptis circa libertatem Novatorum articulis, eam rursus hic loci, ne magis necessaria præterire videamur, directe oppugnabimus.

I. PROPOSITIO I. Ignoratio juris naturalis, si invincibilis sit, à peccato excusat.

Probatur 1. Prob. 1. ex damnata ab Alex. VIII. positione: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Huc etiam spectant proscripti articuli Baji negantis necessarium esse ad imputationem peccati quod sit voluntarium. Dictum de his lib. xvi. cap. 2. & 3. Deinde probatur ex Augustino; qui non solum expressissimis testimoniis à me eodem loco productis affirmat nullum dari absque propria voluntate actuale peccatum, sed etiam hanc de ignorantia questionem aperte definit lib. 111. de lib. arbitr. cap. 19. his verbis: *Non tibi de-*

putatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. Rursus probatur demonstrando Adversariorum in perscrutando Augustini mentem halucinationem, atque oscitantiam. Affirmantibus siquidem Pelagianis nullum hominem nasci obnoxium originali peccato, ideoque concupiscentiam atque ignorantiam spectare ad naturam instituti hominis, non esse pœnam damnati, ut ait S. P. August. cap. xi. de Dono Perseverantiæ, & nos lib. xii. xiii. & xvi. demonstravimus, sanctissimus Doctor contendit utrumque, tam concupiscentiam, quam ignorantiam malum esse, & posse dici peccatum, in quantum peccato inductæ sunt, atque ad peccatum pertrahunt utentes libero voluntatis arbitrio. Caterum ait neminem ob ignorantiam illam damnari, nisi propria negligentia quis tenebras sibi arcessat. Qui autem hæc docet, neque affirmat ignorantiam invincibilem esse actuale peccatum, neque opus ex illa patratum deberi ad culpam imputari. Perperam igitur obstrepunt Adversarii contra inconcussam, firmissimamque S. P. Augustini auctoritatem.

Sane Augustini scopum esse demonstrare ignorantiam non esse naturam hominis instituti, sed pœnam damnati, ut inde originariam labem, & specialis gratiæ inferat necessitatem, liquet ex ejus adversus Pelagianos disputationibus, ac præsertim ex libro contra Jul. VI. Ibi enim cap. 16. demonstrat ignorantiam malum

2. Probatur 2.